

300
F 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

1626

93

KW 300F28

CARMEN LVGVBRE

in honorem exequiarum

ILLVSTRISSIMI AC POTENTISSIMI DOMINI Dn. MAVRICII,

Principis Aurantiæ, Comitis Naſſoviæ, Catti-meliboci, Viandæ, Meurſæ, &c. Marchionis Veræ & Vliſſingæ, Domini & Baronis Bredæ, Graviæ, &c.

Gubernatoris Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, VVeſt-Friſiæ, Zutphaniæ, Vltrajecti, Tranſiſulaniæ, Groningæ & Omlandiæ, Drentiæque, &c. Supremi militiæ per Confœderatum Belgium Ducis, & Generalis rerum maritimarum Præfecti, Equitis Regij ordinis Garterij, Propugnatoris Eccleſiæ Chriſti conſtantiſſimi, Heroiſquè ex hoſtibus ejus poſt hominum memoriam victorioſiſſimi,

16 Septembris Anni 1625 cum maximo luctu totius Confœderati Belgii Delphis in Hollandia celebratarum, æviterni monumenti loco, inſtituit

M. IOH. SICTOR ROKYCZANVS exul Bohemus.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'S HAGE.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ ISAACI ELZEVIRI,
Iurati Academiæ Typographi.
CIƆ IƆ C XXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

PROSOPOPOEIA
Defuncti Principis MAVRICII.

ILle ego, qui quondam docui victricibus armis
Hiſpanum cohibere minas, Belgasq; fideles
Ritè ſub Ordinibus IOVÆ parère, quod unum
Exſtat in orbe bonum, ſummum fideiq; trophæum:
Vt noſcant alij, præſens quos excitat ætas
Terrarum Dominos divina in fœdera Reges,
Hoſtibus in mediis dominari robore CHRISTVM,
Exemploq; meo inſiſtant conſtantibus auſis
Ad Babyloniaci vaſtanda crepundia monſtri,
Confidantq; piis Numen non defore cæptis,
Quod perhibent ſacri tot aperta oracula verbi.
Si genus inquiris? fuit id de ſanguine celſo,
Auraicæq; Domus magnis Heroibus ortum,
Naſſovia & de gente ſatum, trabeâq; Quirini,
Stemmate Cæſareo clarum, quo tempore ſummum
Imperij culmen Princeps conſcendit Adolphus.
Si mea geſta cupis cognoſcere? protinus omne
Cœlum, terra, fretum, tot clara trophæa loquetur,
Meq; tacente pios cantabit fama labores.
Nam mihi pro CHRISTO juſtè ſacra bella gerenti
Favit ubiq; ferè cœli clementia, & ipſi
Flabra ſecunda dabant toties in prœlia venti.
Sic etiam in terris DEVS haud mihi defuit unquam
Omnipotente manu, dum tela retorſit in hoſtes,
Pro redituq; dedit gratos celebrare triumphos.
Hinc aurora meas, veſper, Septentrio, vires
Cum Papa & cuncti mirantur ubiq;, ſed ipſe
Inprimis cognoſcit Iber, cui maximus horror
Semper eram vivens, caſi & vindicta parentis.
Optimè at has omnes redivivo in corpore laudes
Ipſe revelabit, cujus pro nomine geſſi
Prælia conſtantèr totius tempore vitæ,
Cuiq; meam commiſi animam, vocemq; ſupremam,
Veridicus mundi judex in nube ſerena,
Præmia quando dabit cunctis ſub fine dierum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Querela Eccleſiæ & Reipublicæ Belgicæ
ex obitu
Illuſtriſſimi ac Potentiſſimi Principis Mauricij, &c.

BELGICA virgo gemit permagno orbata Patrono,
Auraico illuſtri Principe, Flore, Patre:
Principe, ſub cujus ſtetit imperterrita clavo,
Riſit & Hiſpanos ſæpè petita dolos:
Flore, cui ſimilem Mavors non vidit in armis,
Nec dedit ingenio, robore, laude, parem:
Patre, ſatis verum cujus cognovit amorem,
Et penitus certam ſenſit ubique fidem.
Virgo gemit ſacri flos & pia cura decoris,
Quo valet æterni cultus in orbe DEI.
Occubuit ſiquidem Procerum ter maximus Atlas,
Belgica quo verè bellica terra fuit.
Nam Duce eo celebres geſſit tot ſæpè triumphos,
Et tulit invictas ſemper ab hoſte manus.
Occidit heû properè belli redeunte procellâ
Surculus occiſi floridus ipſe Patris:
Ille Gubernator felix, MAURICIUS heros,
Maximus Auraicæ ſplendor & umbo Domûs:
Naſſoviæ Gentis fortiſſimus alter Achilles,
Totius & Patriæ lux veneranda ſuæ.
Nam paſſim emicuit fulgentis ſideris inſtar,
Famâ ubi replevit fortia corda virûm.
Illius effrenis vires cognovit Iberus,
Cedere dum longo Marte coactus erat:
Ejus & ingenium mirata eſt undique tellus,
Dum ſine cæde potens ſæpè trophæa tulit.
Heû obijt fortis Procerum Leo, Ioſua ut alter,
Excitus à ſummo per pia vota DEO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Nil equidem occiſi ſceleratâ fraude parentis
Profuit Hiſpanis mors inopina feris;
Quin potius juſti vindictam iramque Tonantis
Excierit ſupero dêinde repente throno.
Surculus ecce potens excrevit ſtipite cæſo,
Factus & eſt Patrijs arbor amæna focis:
Non modò nam validos protruſit pondere ramos,
Vndique ſed lætas ſparſit ad aſtra comas,
Tegmine ſub cujus requievit Belgica virgo,
Satque diu celſo vertice tuta fuit,
Quem nec aperto unquam potuerunt tollere Marte,
Nec ſibi jam notis Tartareisque dolis:
Sed Pater omnipotens, cui vera Eccleſia curæ,
Huic toties factas riſit ab axe minas,
Cuſtodique gregis dextrâ armipotente fidelis
Adſtitit, & ſemper robur alacre dedit.
Inclyta fama Ducis tàm Heroo ſanguine creti
Et voce & calamo Martia geſta canit.
Namque quater denos ad clavum floruit annos,
Fecit & Ordinibus proſpera cuncta pijs:
Non modò res geſtas æquavit & ipſe parentis;
Sed magis illuſtri pòſt ſuperavit ope.
Quod Pater incepit pro Libertate tuenda,
Filius Herculeo Marte peregit idem:
Hinc & ad extremum terrorem incuſſit Ibero,
Dum ſtudia amplecti Pacis adegit eum.
Quo facto inprimis per tot ſacra prælia Chriſti
Aſſeruit Patrio libera jura ſolo.
Hoc Duce & in varias diſtracta Eccleſia partes
Dordraci in Synodo ritè dirempta fuit.
Ne referam reliquas Generoſo in corpore dotes,
Quæ ſuperant hominum laude potente fidem.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Hinc igitur meritos perſolvit Belgica luctûs,
Vindici & ipſa ſuo debita juſta facit.
Geldria naturâ Rheno munita bicorni
Militiæ ſummum deflet ubiq́ue Ducem.
Triſtior eſt ſolito florens Hollandia vultu,
Luget & Hagenſis Curia Sancta Patrem.
Solvitur in lachrymas paſſim Zelandia triſtes,
Cujus ope à Flandris tutior illa manet.
Friſia dives agri, & refluo contermina ponto
Saucia præ nimio corda dolore gerit.
Vltrajectenſis regio mærore repleta
Heroa auſpicijs poſcit ad arma parem.
Sic cum præſidijs quoq́ue Tranſiſulania cunctis
Lamentis varijs neſcit habere modum.
Et Groninga gemit cum Omlandis fædere juncta,
Quo Duce ab Hiſpano eſt libera facta jugo.
Ipſe inter primos Patris fratrisq́ue ſuperſtes
Henricus Princeps pectore triſtis adeſt,
Jamq́ue Gubernator divino Numine lectus
Exequias Patrio Gentis honore colit,
Ingrediturq́ue viam, quâ cum grege J o v a fideli
Longiùs Auraïcam ſervet in orbe Domum:
Huic Comes Erneſtus ſocio ceû junctus Achates
Naſſovij quærit ſanguinis omne decus,
Et, quò ritè probet chari Patruelis amorem,
Teſtatur gemitum non ſine mente gravi.
Non minus excipiunt agnati ex ordine pompam
Funeris, & feriunt queſtubus hiſce polum:
En hodiè noſtræ decus indelebile Gentis
Jam redit in miſeram pulveris inſtar humum.
Tu, qui Naſſovijs tribuiſti culmen honorum,
Progeniem Comitum protege, ſumme D e v s:

 Per

Per ſeptingentos noſtri laus nominis annos
  Fida fuit dextræ Marte, Togâque, tuæ.
Nunc igitur charam penitus ne deſere Gentem,
  Cor ſed alacre pio pro grege confer ei,
Proferat ut gratos Generoſa ex arbore fructus,
  Et ſit in orbe magis laudibus apta tuis.
Hinc reliqui Proceres longùm comitante Coronâ
  Inferias faciunt pro pietate Duci,
Et, quia dulce caput perijt, quo Belgica virgo
  Floruit, hos queſtus voce gemente ferunt:
Chare Pater Patriæ, qui nobis ſedibus altis
  Miſſus es auxilio ad bella gerenda DEI,
Quas tibi pro meritis reddemus pectore grates,
  Et penitus Generi prȩmia digna tuo?
Quod Pater incepit Gulielmus vindice dextrâ,
  Te Duce confectum tàm grave Martis opus,
Ceû poſtliminio per te reparata nitori
  Aurea Libertas, Relligioque DEI,
Inter & ingenuos crevit concordia cives,
  Dum Patriam validâ munijt illa manu.
Sed quoniam in niveo remanent te præmia cælo,
  Iudice ſub Chriſto, Palmigeroque choro,
Nos jam morte piâ defuncto juſta par[illegible]nus,
  Ponimus in Patrio corpus & oſſa loco.
Reſtat adhuc noſtro Princeps Henricus honori,
  Qui Patris atque Tui Martia corda gerit.
Optime Dux, igitur, Maurici, in pace quieſce,
  Et pro tot meritis hæc monumenta cape:
Semper honos, nomenque tuum, virtuſque manebit
  Donec erit Belgis robur ad arma tuis:
Te quoque ſidereo pietas æquabit Olympo,
  Donec erit Chriſto gloria ſumma DEO.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

EPIGRAMMA
de obitu
Duorum Heroum noſtri ſeculi incomparabilium:
Unius Pace florentiſſimi; alterius Marte feliciſſimi.

SI quod erit noſtri tempus memorabile ſecli,
Anni hujus meritò Menſis Aprilis erit,
Heroes ſiquidem duo in illo obiêre potentes,
Quêis habuêre pares ſecula rara Duces:
Vnus erat Pacis; verùm alter Martius Heros:
Hic Britonum ſplendor; Belgÿ at ille decor:
Hic triplicis ſceptri diademate fulſit avito;
Ille ſed aſſiduò læta trophæa tulit:
Hoc viguit felix ſat Magna Britannia Rege;
Floruit aſt illo Belgica virgo Duce.
Quos prius invictos virtus pia fecit in orbe,
En jam vicit eos Mors truculenta nece.
Charus uterquè DEO, *ereptus mortalibus auris,*
In ſuperis Chriſti pro grege victor ovat.

TETRASTICHON NVMERALE
obitûs
Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis
IACOBI
Dei gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis:
Stylo novo.

SCotIgenas AngLIs qVI & VnaIVnXIt HIbernos,
VnIVs Vt sCeptrI sInt trIa Regna ſaCrI:
QVo pIa paX VIgVIt, Magna atqVè BrItannIa, ſeXto,
AprILIs ſeXtâ ReX IaCobVs obIt.

HEROI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

HEROICON MEMORIALE
obitûs
Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Domini Dn.
MAVRICI
Principis Aurantiæ, Comitis Naſſoviæ, Cattimeliboci, Viandæ, Meurſæ, &c. Marchionis Veræ & Vliſſingæ, Domini & Baronis Bredæ, Graviæ, &c. Gubernatoris Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, VVeſt-Friſiæ, Zutphaniæ, Vltrajecti, Tranſiſulaniæ, Groningæ & Omlandiæ, Drentiæq;, &c. Supremi militiæ per Confæderatum Belgium Ducis & Generalis rerum maritimarum Præfecti.

QVI totIes BeLgIs VIrtVte repreſsIt Iberos,
AVraICVs PrInCeps obIIt MaVrICIVs Heros,
LVCe qVater ſenâ, abſqVe Vna, VernantIs AprILIs.

Epitaphium ejuſdem.

Clauditur hoc tumulo MAVRICIVS alter Achilles,
Auraicus Princeps, Naſſoviusque Comes:
Surculus occiſi revocatâ laude parentis,
Ille Gubernator Marte Togâque potens:
Fæderis invicti Belgarum Maximus Atlas,
Libertatis apex, Relligionis honor:
Miraclum mundi, Patriæ Lux, terror Iberi,
Flos Charitum, populi murus & ara pij:
Sæpè triumphator felix terrâque, mariique,
Et Procerum clavi prima columna ſacri.
Corporis exuviæ poſitæ ſunt hocce ſepulchro;
Gaudet at in rutilo mens Generoſa polo.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 28